

## SEZIONE IUNIORES

### CAES. *Gall.* 4, 16

[16]1 Germanico bello confecto multis de causis Caesar statuit sibi Rhenum esse transeundum; quarum illa fuit iustissima quod, cum videret Germanos tam facile impelli ut in Galliam venirent, suis quoque rebus eos timere voluit, cum intellegerent et posse et audere populi Romani exercitum Rhenum transire. 2 Accessit etiam quod illa pars equitatus Usipetum et Tencterorum, quam supra commemoravi praedandi frumentandi causa Mosam transisse neque proelio interfuisse, post fugam suorum se trans Rhenum in fines Sugambrorum receperat seque cum his coniunxerat. 3 Ad quos cum Caesar nuntios misisset, qui postularent eos qui sibi Galliaeque bellum intulissent sibi dederent, responderunt: 4 populi Romani imperium Rhenum finire; si se invito Germanos in Galliam transire non aequum existimaret, cur sui quicquam esse imperii aut potestatis trans Rhenum postularet? 5 Ubi autem, qui uni ex Transrhenanis ad Caesarem legatos miserant, amicitiam fecerant, obsides dederant, magnopere orabant ut sibi auxilium ferret, quod graviter ab Suebis premerentur; 6 vel, si id facere occupationibus rei publicae prohiberetur, exercitum modo Rhenum transportaret: id sibi ad auxilium spemque reliqui temporis satis futurum. 7 Tantum esse nomen atque opinionem eius exercitus Ariovisto pulso et hoc novissimo proelio facto etiam ad ultimas Germanorum nationes, uti opinione et amicitia populi Romani tuti esse possint.

Quesiti:

1. Qual è il soggetto del verbo *intellegerent* al rigo 3?
2. L'espressione *qui postularent eos ...* al rigo 7 quale proposizione introduce?
3. Qual è la funzione del paesaggio nel brano?

### NEP. *Eum.* 3, 1-6

3] Interim conflata sunt illa bella, quae ad interneccionem post Alexandri mortem gesta sunt, omnesque concurrerunt ad Perdiccam opprimendum. Quem etsi infirmum videbat, quod unus omnibus resistere cogebatur, tamen amicum non deseruit neque salutis quam fidei fuit cupidior. 2 Praefecerat hunc Perdiccas ei parti Asiae, quae inter Taurum montem iacet atque Hellespontum, et illum unum opposuerat Europaeis adversariis; ipse Aegyptum

oppugnatum adversus Ptolemaeum erat profectus. 3 Eumenes cum neque magnas copias neque firmas haberet, quod et inexercitatae et non multo ante erant contractae, adventare autem dicerentur Hellespontumque transisse Antipater et Crateros magno cum exercitu Macedonum, viri cum claritate tum usu belli praestantes - 4 Macedones vero milites ea tum erant fama, qua nunc Romani feruntur: etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summa imperii potirentur -: Eumenes intellegebat, si copiae suae cognosset, adversus quos ducerentur, non modo non ituras, sed simul cum nuntio dilapsuras. 5 Itaque hoc ei visum est prudentissimum, ut deviis itineribus milites duceret, in quibus vera audire non possent, et his persuaderet se contra quosdam barbaros proficisci. 6 Itaque tenuit hoc propositum et prius in aciem exercitum eduxit proeliumque commisit, quam milites sui scirent, cum quibus arma conferrent.

Quesiti:

1. Al rigo 2 che funzione svolge il *Quem*?
2. Al rigo 3 in che caso sono i termini *salutis* e *fidei*? Perché?
3. Qual è la funzione del paesaggio nel brano?

## SEZIONE SENIORES

VERG. *Geo.* 2, 47-72

Sponte sua quae se tollunt in luminis oras,  
infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt;  
quippe solo natura subest. tamen haec quoque, si quis  
inserat aut scrobibus mandet mutata subactis,                   50  
exuerint siluestrem animum, cultuque frequenti  
in quascumque uoles artis haud tarda sequentur.  
nec non et, sterilis quae stirpibus exit ab imis,  
hoc faciat, uacuos si sit digesta per agros;  
nunc altae frondes et rami matris opacant                   55  
crescentique adimunt fetus uruntque ferentem.  
iam quae seminibus iactis se sustulit arbos,

tarda uenit seris factura nepotibus umbram,  
pomaque degenerant sucos oblita priores  
et turpis auibus praedam fert uua racemos.                   60  
scilicet omnibus est labor impendendus, et omnes  
cogendae in sulcum ac multa mercede domandae.  
sed truncis oleae melius, propagine uites  
respondent, solido Paphiae de robore myrtus,  
plantis edurae coryli. nascuntur et ingens                   65  
fraxinus Herculeaeque arbos umbrosa coronae,  
Chaoniique patris glandes; etiam ardua palma  
nascitur et casus abies uisura marinos.  
inseritur uero et fetu nucis arbutus horrida,  
et steriles platani malos gessere ualentis,                   70  
castaneae fagos; ornusque incanuit albo  
flore piri glandemque sues fregere sub ulmis.

### **Tac. Agr. 10**

10. Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos non in comparationem curae ingeniue referam, sed quia tum primum perdomita est. Ita quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia, insularum quas Romana notitia complectitur maxima, spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur; septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae vel bipenni adsimulauere. Et est ea facies citra Caledoniam, unde et in uniuersum fama [est]: transgressis inmensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur. Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam adfirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, inuenit domuitque. Dispecta est et Thule, quia hactenus iussum, et hiems adpetebat. Sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem perinde attolli, credo quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur.